DE XENOPHONTIS
COMMENTARIORVM SOCRATICORVM
COMPOSITIONE

SCRIPSIT

THEODORVS BIRT

MARPVRGI
IMPENSIS ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI
MDCCCXCIII

Xenophontis Commentarii Socratici qua ratione essent compositi non multi sunt qui dedita opera examinaverint [1]). Quaeritur vero utrum operis forma, qualem nunc venditant, ex meditatione et vera compositione partium originem ceperit an careat ordine et semper caruerit. Fieri autem etiam hoc potuit, ut artis consilio cum opus scribendum adgrederetur scriptor oboediret, postea vero neglecto consilio ampliaret appendicesque adiceret; possunt denique adeo contra scriptoris voluntatem iniectae esse particulae alienae. Quam quaestionem cum ante multos annos tractassem et ad finem quendam perduxisse mihi visus essem, tamen publice cum cura disputandi tempus semper defecit et deficit etiam nunc. Nihilo setius cum esse cognossem cui sententia, quam his de rebus sustineo, vel subducta argumentatione complacere posset, dicendam eam hoc loco tandem esse constitui; quam quidem qui possit, boni consulat; qui potiorem sibi finxerit, sive praetermittat sive quae alias de hac re diffusius expositurus sum benigne praestoletur. Denique dum brevitati studeo, si quae placita aliorum mea fecissem non fere indicavi; nam ex rei contemplatione quasi ex fonte salubri unico iudicii rivulos derivavimus.

---

1) Talia olim Raphael Kuehner prolusit in ed. a. 1841 p. 3: »non mirabere nec Xenophontem operam dedisse, ut varios Socratis sermones argumentorum similitudine ad certum ordinem revocaret vel adeo ex iis artem quandam componeret«; tamen aliquem quemcumque ordinem capitum ibidem indagare conatur. De ordine paene desperabat K. Schenkl in studiorum Xenophonteorum parte altera (Wiener Sitzungsberichte der Akad. tom. 80 a. 1875 p. 119): »wenn auch in unserer Schrift keine feste Disposition hervortritt, so ist doch die Verbindung der einzelnen Theile keine so lose« eqs. Similiter Duemmlerus in Academicis a. 1889 p. 125: »bei der lockeren und kunstlosen Composition« eqs. Magnum lucrum capi posse sperabam ex iis quae nuper A. Doeringius promulgavit in Archivi ad historiam philosophiae tomo IV (1891) p 34 inscribens: »Die Disposition von Xenophons Memorabilien als Hülfsmittel positiver Kritik« et idem ibidem tomo V p. 61. Et vidit ille nonnulla; tamen in plerisque spes fefellit; neque qui contra dixit Carolus Joel in libro novissimo »Der echte und der Xenophontische Socrates« t. I a. 1893 p. 39 sq. tenebras removit vel Prometheam illam scintillam invenit qua facem accenderet.

I.

Xenophon ex Asia redux cum de Socrate certamen inter litteratos ortum videret, primum non nisi *ἀπολογίαν Σωκράτους* condere suscepit eaque integra servata extat in initio libri primi Memorabilium; dico eius libri capita solummodo 1 et 2. Cui sententiae fidem facit ipsa compositio ac dispositio, qua parvum hoc opusculum quod modo circumscripsi ab iis quae sequuntur olim separatum extitisse et ipsum plenum et integrum et unum fuisse demonstratur.

Praeierat Polycrates sophista vix ante annum 393 a. Chr. n. *κατηγορίαν Σωκράτους* ita elaborans ut nova tandem praeter obsoleta crimina conflaret; contra hanc famosam accusationem Memorabilia sua derexisse Xenophontem olim proposuit Cobetus, ventilarunt coniecturam docti posteriores ad hunc diem usque. Constat vero libellum Polycratis non veram orationem fuisse neque vero in ipsa causa Socratis pronuntiatam, sed rhetoricum artificium simulans illud orationis speciem neque debitum nisi studio sophistico. Iam Xenophon illam tantum videlicet Memorabilium particulam quam apologiam Socratis nuncupavi, libri I capita initialia 1 et 2, neque vero plura contra Polycratem edidit et parvitatem opusculi exaequans libello libellum respondere volebat. Et sane quam ridiculus homo fuisset, si quasi cum clava Herculis in murem inruens contra orationem decem fortasse paginarum plenos libros quattuor emisisset. Habent vero capita eius I 1 et 2 ambitum haud spernendum, scilicet vel duplicem eius »apologiae« quae separatim sub nomine Xenophontis traditur.

Quod si iam attendimus ad huius apologiae dispositionem, ex adversario assumptam esse a Xenophonte recte statueris. Eius enim crimina refutasse ita videri debet ut seriem criminum observaret ipsam.

Ex breviusculo autem incipit exordio.

Exordium, fere sex versuum. Mem. I 1, 1. *πολλάκις ἐθαύμασα, κτλ.* Mirari se dicit causas accusationis, adicit ipsam *γραφήν;* quae quidem criminationes duas continet: 1) in deos non credidisse Socratem, 2) iuvenum mores eum corrupisse. Ex eadem *γραφῇ* profectam esse Polycratis orationem necesse fere est supponamus. An enim aliud novisti aptum fictae accusationi exordium? Deinde haud cunctatus Xenophon in defensionem celeri pede insilit. Quodsi quam largis verbis alibi prooemiari ille soleat perpendas (cf. I 4, 1; IV, 1, 1), hanc parsimoniam libello huic breviusculo magis accommodatam fuisse quam amplis commentariis facile concedas.

Exordio autem plane respondet epilogus.

Epilogus. Mem. I 2, 62 sq. *Ἐμοὶ μὲν δὴ Σωκράτης τοιοῦτος ὢν κτλ.* Accusationem contra ius fuisse colligit. Verba autem finalia I 2, 64 *πῶς οὖν ἂν ἔνοχος εἴη κτλ.* plane ad ipsam *γραφὴν* in exordio scriptam gressum referunt: 1) deos eum non credidisse dicebant; contrarium verum est; 2) iuvenes eum corrupisse; potius mores emendavit. Sic epilogus ut debuit ad ipsa verba exordii retro spectat; accusatio omnibus iam numeris confutata est; munere functus est scriptor. *ταῦτα δὲ πράττων πῶς οὐ μεγάλης ἄξιος ἦν τιμῆς τῇ πόλει;* In

haec de Socrate verba parca plana concinna commode desinit scriptum exordii conservans tenorem.

Sic autem post exordium capita refutationis Xenophon ordinavit eademque ratione atque per capita eadem libellum suum vel accusationis defensionem ordinasse Polycratem praesumitur:

I a) Mem. I 1, 2—9. de deorum cultu ac religione. Xenophon et sacra fecisse et divinationi favisse Socratem affirmat; negasse videtur ille.

I b) Mem. I 1, 10—20. philosophum, i. e. physicum qualem etiam Anaxagoram fuisse criminatus erat adversarius. Xenophon minime physica curasse Socratem, sed res humanas tantum sustinet. Hic etiam dialecticae rationis Socraticae mentio iniecta § 16, quaesisse illum in notionibus explanandis *τί ἐστι*. Denique pietatis plenam vitam Socratis fuisse ait § 20 verbis *θαυμάζω οὖν ὅπως κτλ.* distincte prooemii sui memoriam resuscitans.

His absolutis iam de altero crimine agitur; nam iuvenum corruptorem fuisse pluribus firmasse videtur Polycrates; quae singillatim profligare conatur Xenophon. Sic disponi pergitur:

II) Mem. I 2, 3—8. De Socratis victu ac moribus. Magistrum iuvenum eum esse praetendisse negatur; immo exemplo solo mores emendabat. Laudatur in eo continentia et quidem 1) in rebus venereis; 2) in victu et esu (*ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς ἐγκρατέστατος*); 3) facile tolerasse eum frigora et aestum; 4) parvis contentum fuisse; igitur abfuisse a mollitie, item a luxu et vestium elegantiis (*οὔτ' ἀμπεχόνῃ οὔθ' ὑποδέσει κτλ.*); 5) non pecuniae cupidini favisse eum nec ipsum argentum sumpsisse ab iis quos docebat. Conclusio: *πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ διαφθείροι τοὺς νέους;*

III) Mem. I 2, 9—48. De legum et rei publicae despectu quem in animis adulescentium nutriisse Socratem dixerat *ὁ κατήγορος;* nempe id irrisioni dedisse Socratem, quod Atheniensium magistratus fabis eligebantur; sic illos eo auctore factos esse *βιαίους*. Haec refutantur a Xenophonte § 10 et 11. Exemplo autem Polycrati Critias et Alcibiades fuerant, alter optimatium, alter plebis partium violentissimus (§ 12). Contra ponit defensor plurima disserens: ambos ubi res publicas gerere coeperint, societatem Socratis reliquisse; veros discipulos Critonem Simmiam alios fuisse (§. 48) qui non discere cupierint illud *λέγειν τε καὶ πράττειν* (cf. § 15), quod ad eos pertinebat, quibus rem publicam capessere et magistratus inire cordi fuit.

Sed plura etiam probra iecerat accusator:

IV) Mem. I 2, 49 et 50. de impietate erga parentes; eius scilicet auctorem fuisse Socratem; redarguit Xenophon; idem denuo perstringit in parte VI huius partitionis.

V) Mem. I 2, 51. de non honorandis cognatis reliquis; huius criminis refutationem in crimen proximum (§ 55) reservat Xenophon, sed tamen in enumerando hoc ab illo curiose distinguit.

VI) Mem. I 2, 52—55: *de neglegenda erga amicos beneficentia vel benevolentia*; id dum refellit, ad parentes et reliquos cognatos velut *fratres* recte colendos simul sermo reducitur.

VII) Mem. I 2, 56—61: eo quoque morum depravatorem fuisse Socratem, quod clarorum *poetarum locis inprosperis abuteretur*; ita adferre solitum esse Hesiodi verba ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, unde omnia licere efficeret, et illud Homeri, quo ad regem argumentis uti, ad populum verberibus iuberemur. Xenophon, quod notatu dignum, non poetarum interpretationis Socraticae exempla alia et ad excusandum vel laudandum magis idonea adfert, sed missis poetis sermone in universum deflexo docet *curasse Socratem, ne segnes ignavi inutiles essent homines* (τὸ ἐργάζεσθαι ἀγαθόν, τὸ ἀργεῖν κακόν. τοὺς ἀγαθόν τι ποιοῦντας ἐργάτας εἶναι, τοὺς δὲ κυβεύοντας ἀργούς § 57); *coercendos esse qui utile nil aut gererent aut loquerentur* § 59; ipse vero exemplum fuisse dicitur φιλάνθρωπος ὤν (§ 60) et utilis semper fuisse (ὠφέλει) neque socios omnino dimisisse nisi factos meliores.

Quibus tandem sine interstitio adnexus est *epilogus*, de quo supra monitum habes.

Hactenus capitum conspectus et delineatio argumentorum. Quibus argumentis septem numero quia totus in eo est scriptor ut κατηγορίαν reiciat, ipse nihil praestitit nisi ἀπολογίαν crimina singula excutientem, nec in narrationem ideo pleniorem ullam de Socrate exspatiatur, sed in rem quasi defixus defendit merita eius sive vitiorum defectum; indidem factum est, quod nullus in his Socraticus dialogus, quem expectaveras, occurrit; immo solum quod iniectum est diverbium Pericles habet cum Alcibiade (I 2, 41 sqq.). »Apologiam« inscripsisse Xenophontem non spondeo, facile tamen mihi persuaderi sinam, et vocem ἀπολογεῖσθαι ipse posuit I 2, 13: ἐγὼ δ' εἰ μέν τι κακὸν ἐκείνω τὴν πόλιν ἐποιησάτην, *οὐκ ἀπολογήσομαι*· τὴν δὲ πρὸς Σωκράτην συνουσίαν αὐτοῖν ὡς ἐγένετο διηγήσομαι; nempe haec non quidem Critiae et Alcibiadis, est vero defensio Socratis, et ad illud διηγήσομαι cogitando supplemus: ἀπολογούμενος ὑπὲρ Σωκράτους.

De tempore quo scripta sit nunc non dissero; at certe collocaverim eam equidem inter primora stili Xenophontei conamina, ad quam se accinxerit Polycratem oppugnaturus. Athenis non scriptam esse vel ex ratione qua Athenienses ipsos memorat I 1, 1 et I 1, 20, colligi potest.

Polycratis libellum orationis formam habuisse constat (cf. Quintil. II 17, 4); ergo accusator qui ὁ κατήγορος solet vocari a Xenophonte, non Polycrates ipse fuit, sed Polycrates personatus, id est Anytus (cf. quae disseruit Hirzelius in Mus. Rhen. t. 42 p. 240). Quocirca profectum ibi esse Anytum ex ipsa illa accusationis formula, quam repetit Xenophon I 1, 1, veri simillimum esse vel adeo necessarium propptereaque iterandam eam in suo exordio censuisse serum hunc Socratis defensorem supra dixi. At vero orationis iudicialis formam minus adfectavit Xenophon; neque vero id factum est nimirum ne in illo quideml ibello, qui sub proprio indice »Apologia Xenophontis« circumfertur.

II.

Scriptor belligerator tempore aliquo praeterlapso postquam otio profundiore uti coepit, et aliorum operum grandiorum cepit consilium fundamentaque iecit et quae de Socrate nuper ediderat uberiore apparatu instruenda esse constituit; ad aemulationem autem maxime dialogorum Socraticorum exempla eum adlicuerunt, qualia Platonem Aeschinem Antisthenem sive edere sive moliri videbat. Eadem igitur scribendi lege dialogica iam ipse quoque utendum sibi esse cognovit. At vero tum quidem nihil aliud egit Xenophon nisi apologiam suam pridem in publicum divulgatam conservare et in capite libri denuo proponere, adicere deinde commentarios latiores, quibus illustraret quae in illa Apologia legebantur. Itaque tum quidem non edidit Xenophon Memorabilia tota, sed tantummodo libros qui nunc numerantur I et II; in his enim certe, quae sunt libri I capita 3 et 5—7 et liber II totus, revera id solum perspicua ratione persecutus est scriptor, ut apologiae illius praemissae in l. I cc. 1 et 2 sententias ad unam omnes singillatim illustraret propositis dialogis Socraticis. Ergo in finem libri II ipse finis operis tum incidebat. Quae ita se habere iterum evincit observatus rerum ordo; siquidem Xenophon in I c. 3 — II c. 10 eandem dispositionem cum cura esse destinavit quam antea in apologia I c. 1 et 2 observaverat debueratque Polycrati.

Novum autem his commentariis exordium praefixit I, 3, 1: *Ὡς δὲ δὴ καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει μοι τοὺς συνόντας τὰ μὲν ἔργῳ ... τὰ δὲ καὶ διαλεγόμενος, τούτων δὴ γράψω ὁπόσα ἂν διαμνημονεύσω.* Est igitur novum propositum; oblivione mergitur *ὁ κατήγορος*. Xenophon quae memoria tenet de Socratis utilitate, memoriae temporum tradere vult. Et verba ipsa quae modo allegavi, quibus tandem adnectuntur ad apologiam haec »memorabilia«, *ὡς δὲ δὴ καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει μοι κτλ.*, nexum tamen sat inhabilem et certe vix minus dissolutum praebent quam quo incipit Oeconomicus: *ἤκουσα δέ ποτε αὐτοῦ καὶ περὶ οἰκονομίας τοιάδε διαλεγομένου* vel Convivium: *ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ κτλ.*

Iam vero in opere hoc altero et grandiore quod tendit a libri I capite 3 ad libri II exitum ecce mihi eadem septem capitula iisdem numeris distingui possunt, quibus in apologia disponenda supra usus sum, neque possunt tantum; immo debent distingui, et ex commentariorum horum, quos nunc proprie dico, contemplatione partitio per se facile eadem resilit, quam in illa observatam invenimus. Quod quo admirabilius est, eo luculentius ad verum investigandum viam aperit.

Haec sunt septem capitula Socraticis pleraque dialogis inlustrata.

I) Mem. I 3, 1—4. De deorum cultu et religione. Socratem et sacra fecisse et divinationi favisse. Deest dialogus.

II) Mem. I 3, 5—15; porro cap. I 5 et 6. De Socratis victu ac moribus. 1) primus Socratis et ipsius Xenophontis dialogus offertur I 3, 5 sq. de rebus veneriis (*περὶ ἀφροδισίων*); continentia nimirum commendatur. Cum quibus arte cohaeret eiusdem *ἐγκράτεια* I c. 5, et quidem ibi docemur: 2) ventrem non esse onerandum (*ὑπερεσθίειν*); 3) de vestium luxurie vitanda I c. 6

(*ἀχίτων καὶ ἀνυπόδητος*); 4) pecuniam eum aspernatum esse neque decere magistrum argentum a discipulis sumere. Quin etiam 5) frigora et aestum se tolerare posse gloriatur Socrates I 6, 6 sq. Vide quanta diligentia Xenophon locum I 2, 3—8 sive apologiae praeeuntis segmentum quod numeravi alterum per singulos locos retractaverit; nam etiam ibi antecedunt *τὰ ἀφροδίσια*, quibuscum iungitur studium ventris; porro de frigore et aestu tolerandis, de vestimenti elegantiis, denique argentum Socratem non sumpsisse a discipulis eodem fere ordine expositum est.

III) Mem. I 6, 15; I, 7; II 1. De legum ac reipublicae aestimatione. Hanc rem nunc non ita persequitur scriptor, ut Socratem defendat commemorando quanto amore res publicas amplexus sit, sed quaestionibus variis eum occupatum ostendit spectantibus ad res publicas, unde a contemptu earum alienissimum fuisse per se intellegi poterat. 1) Alios politicos reddebat, ipse politica non exercebat; cur ita? I 6, 15. 2) A falsa gloriae captatione socios avertebat (*ἀλαζονείας ἀποτρέπων*); bonos esse, non esse videri opertere qui ad gloriam adspirent, sive tibicinem sive gubernatorem sive imperatorem (*στρατηγός*); ita I c. 7; quod caput quo maxime tendat, conclusione eius aperitur: *ἀπατεῶνα δ' ἐκάλει ..... μέγιστον, ὅστις μηδενὸς ἄξιος ὢν ἐξηπατήκοι πείθων, ὡς ἱκανὸς εἴη τῆς πόλεως ἡγεῖσθαι;* ergo ad magistratum bene gerendum hae adhortationes praecipue spectant. 3) Socrates ad Aristippum II c. 1; quid deceat magistratum, ducem, regem; illam quam in parte II commendavit temperantiam adprime opus esse *τῷ ἄρχοντι* (§ 1—7); minus decere peregrinum esse quam civem (§ 13—16); artem autem politicam regiam esse (*τέχνην βασιλικήν*) et felicitatem (§ 17); debere civem bene facere patriae (§ 19); laborem suscipiendum esse nec fugiendum (§ 20—27); civitati utilem se gerat qui honori studeat (§ 28). Quae copiosius ita exsequitur Xenophon ut Virtutem et Nequitiam cum Hercule colloquentes Prodico auctore inducat[1]).

IV) Mem. II 2. De vera erga parentes pietate; de causis eius Socrates ad Lamproclem.

V) Mem. II 3. Quae pietatis lex valeat inter cognatos reliquos, ut inter fratres. Socrates ad Chaerephontem et Chaerecratem.

VI) Mem. II 4—7. Benevolentiae erga amicos idoneae causae anquiruntur primum ita ut in universum disputetur (cp. 4), exinde per dialogos tres cum Antisthene, Critobulo, Aristarcho habitos (cp. 5, 6 et 7).

VII) Mem. II 8 et 9 et 10. Ad poetarum interpretationes Socraticas dedita opera non retro vertit Xenophon, quippe quas etiam I 2, 57 sqq. declinaverit.

---

1) In fine libri primi (I 7, 5) offendit illud *τοιάδε*, in limine secundi illud *τοιαῦτα* (II 1, 1); loco priore rescribendum esse arbitror *ἐμοὶ μὲν οὖν ἐδόκει .. ἀποτρέπειν τοὺς συνόντας τοιαῦτα διαλεγόμενος* (illud *δε* in *τοιάδε* per dittographiam forsitan ex *δια* quod sequitur ortum sit); loco posteriore ita: *Ἐδόκει δέ μοι καὶ προτρέπειν τοὺς συνόντας ἀσκεῖν ἐγκράτειαν* (verba inmissa *τοιαῦτα λέγων* ex fine libri prioris inrepsere).

Sed quod ibi φιλάνθρωπον sive utilem fuisse popularibus Socratem et alios ad utile quid gerendum incitasse exposuit, nunc exemplis tribus illustrat: primum est de Euthero paupere, mercede operam locante, quem ad convenientius negotium vilici impellit (cp. 8); alterum de Critone divite, a sycophantis vexato, cui in auxilium vocat Archedemum iuris peritum amicitiaeque amborum fundamentum ponit (cp. 9); tertium de Hermogene paupere, quem Diodoro administrum commendat; curandum enim esse ne amicus bonus, quo nihil utilius, per indigentiam pereat (cp. 10). Sic summa philosophi in rebus alienorum iudicandis diligentia adumbrata est; φιλάνθρωπον in his aliisque rebus et utilem civibus revera se praestitit hic Socrates et, cum deceret omnes ἐργάτας εἶναι, ad id ipsum quos potuit impellebat.

Quibus ambagibus tandem apologiae praemissae denuo argumentum expletum est. Vides autem scriptores illius saeculi sive aevi Isocratei cura quam admirabili materiae ordinem retinere calluerint; bis enim ordinem eundem a Xenophonte anxie observatum esse exploratum est.

Qua in re quoniam conscius artis plane fuit, consectarium dico separatim tum editos esse Memorabilium libros I et II; quos ille dum conscribit, cogitare nondum potuit de scribendis libris qui sequuntur III et IV. Nam ubi dispositionis rerum plenae et integrae ambitus desinit nil ut desit nilque superfluat, ibi desinit etiam consilium scriptoris.

Sed etiam in alteram cogi videmur conclusionem; tum enim cum divulgaret Xenophon libros I et II, adfuisse clarissimum illud caput 4 libri I primo obtuitu negandum est. In quo cum disceptet Socrates deorum in homines provisionem rationibus physicis, frangit operis dispositionem, quam quasi sanctam et inviolabilem tuebimur, et vel propter ipsam suam indolem iam exulabit hic de dis tractatus. Neque enim per se illa dispositio necessitatem habebat neque ex re nata erat, sed soli Polycratis exemplo debebatur; quam si evertere semel voluisset Xenophon, omnino sensu careret quod in reliquis mordicus eam retinuit. Accedit quod res physicas disserere Socratem solitum non esse Xenophon asseveraverat I 1, 11.

Verum enim vero nimis intendere arcum sagittarium non decet placetque recogitare quae modo conclusimus. Contrarietatem locorum I 1, 11 et I c. 4 conciliari posse aliqua ratione, licet in vituperium incidat ars Xenophontis, non primus sentio equidem. Neque obliviscamur inde ab I c. 3 novam lucubrationem exordiri ita, ut ne in uno quidem et eodem scripto secum pugnare Xenophon dici queat. Et omnino scripta esse a Xenophonte praeclarissima illa theologumena nunc quidem firmiter sustineo; quae enim in eo sapiunt Stoicam doctrinam, inde deduci possunt, quod cynicus sive Antisthenicus ipse fuit scriptor: qui quatenus in his Antisthenis libros excerpserit in praesens non diiudico. Contra expectationem autem illud evenit, quod huius operis partitionis prima pars l. I cp. 3 § 1—4 quae est de deorum cultu et religione, debito minutior evasit; complet enim paginam vix unam neque, quod magis urgueo, dialogus in hac prima parte contra morem ullus exhibitus est. Consilium autem Xenophontis hoc fuisse in

propatulo est, ut quid sensisset Socrates de rebus omnibus in capp. I 1 et 2 memoratis, dialogorum exemplis illustraret. Iam vero de deorum cultu et religione dialogus qui illic desideratur offertur ecce in hoc ipso capite I 4 de quo litigamus. Exoptato igitur accideret, si translocari se sineret caput quartum post capitis tertii § 4. Id fieri tamen non potest; mox enim quintum caput verbis § 1 praemissis *Εἰ δὲ δὴ καὶ ἐγκράτεια καλὸν κἀγαθὸν ἀνδρὶ κτῆμά ἐστιν, ἐπισκεψώμεθα εἴ τι προὐβίβαζε λέγων εἰς ταύτην τοιάδε* ex capitis quarti initio ita suspensum est, ut hoc ab illo divellere nullo pacto liceat; nam quod scriptor monet c. 4 § 1, Socratem non solum exhortatum esse homines ad meliora (*προτρέψασθαι*), sed etiam perduxisse (*προαγαγεῖν*), id resuscitatur et iteratur verbis cp. 5 § 1 *εἴ τι προὐβίβαζε;* igitur illud *καὶ* quod legimus cp. 5 § 1: *Εἰ δὲ δὴ καὶ ἐγκράτεια,* retro spectat ad vocem *πρῶτον* cp. 4 § 4: *λέξω δὲ πρῶτον ... περὶ τοῦ δαιμονίου.*

Iam vero permirum esse dixeris, quod caput 4 novo et satis amplo prooemio distinctum est, ita quidem ut in opinationem pellici possimus non I c. 3, sed I c. 4 horum commentariorum verum esse initium; haec autem, id quod modo tetigimus, in prooemio isto exposita sunt a Xenophonte: quod nonnulli credant Socratem ad virtutem exhortatum quidem esse homines, sed non perduxisse, id credere desituros esse, si viderint non solum quomodo ille falsam sapientiae iactationem represserit sed etiam quae locutus sit sive docuerit (*ἃ λέγων συνημέρευε*); eiusque sententiae Xenophon iam pro exemplo habet non solum caput I 4 sed etiam sequentia. Ergo c. I 4 novum commentariorum initium est; dialogos enim promittit (*ἃ λέγων*) et tales quidem, quibus non solum exhortans (*προτρέψας*), sed etiam in rem perducens (*προαγαγών*) carissimus magister delineetur. Ergo priore capite I 3, in quo Xenophon partitionis partes I et II, quae sunt de deorum cultu et de continentia, tractaverat, non sibi satisfecerat ille, quippe cum aut dialogicum sermonem ibi non praestitisset aut in colloquio uno leviusculo, quod est de rebus veneriis, non ita exhibuisset Socratem, ut vi probationis et demonstrationis ad virtutem cogeret auditorem; qua re commotus in cp. I 4 ad partitionis et operis universi initium de integro revertendum sibi esse sentiebat. Veniam igitur habeamus scriptori, quod titubabat in initio laboris neque quod conceperat consilium statim exsequi sine offensione valebat. Sic denique horum commentariorum qui tendunt ab I c. 3 ad II c. 10 dispositionem antea prolatam nunc corrigendam esse existumo, ut proponam tractatam esse a Xenophonte

dispositionis partem I: Mem. I 3, 1—4. de deorum cultu ac religione; sine dialogo.
partem II: Mem. I 3, 5—15. de victu Socratis et continentia; sine dialogo nisi »suasorio« uno. Deinde rursus
partem I: Mem. I 4. de deorum cultu ac religione; dialogi »inductivi« exemplo.
partem II: Mem. I 5 et 6. de continentia; dialogis eiusmodi compluribus. Exinde
partem III: Mem. I 6, 15; I 7; II 1. de legum ac reipublicae aestimatione; et ita porro quae sequuntur ordine servato et ea ratione, ut in nulla parte dialogus eiusdem generis desideretur.

Cunctos fere dialogos inde ab I c. 4 ad II c. 10 »inductivos« esse (*προακτικούς;* liceat enim abuti hoc vocabulo) nemo negabit; est igitur quod mireris atque vituperes quod Xenophon neglecta illa distinctione verborum *προτρέπειν* et *προάγειν* in I c. 7 ad Socratis orationem accessit verbis *ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι προέτρεπεν* iterumque in II c. 1 verbis: *ἐδόκει ... προτρέπειν.* Quod quidem ille nimis inconsiderate fecit. Constat certe dialogi in I 3, 8—13 naturam diversam esse et singularem; est enim magis sermo »suasorius« (cf. § 13 *συμβουλεύω σοι*) vel »admonitorius« (§ 8 *παρῄνει*), non demonstratio talis qua quis cogitur. Neque omnino versatur nisi in re leviore et paene ludicra.

Sed enim vereor equidem, ne totam qua huc usque usus sum argumentandi rationem nimis lubricam esse et artificiosam lectores suspiciosi iudicent. Certe enim si quis inter primum illum dialogum I 3, 8—13 et eos qui sequuntnr satis magnum discrimen intercedere infitietur, ad eum haec omnia fere nihil valebunt, et oleum et atramentum perdidero. Habeo vero quo magis corroborem atque confirmem sententiam meam. Nam etiam in absconsum consilium scriptoris intimum illud et penitissimum posse penetrari suspicor.

Immoremur etiam pluribus in capite I 3, in quo recte taxando quaestionis cardo vertitur. Et dialogum pervenustum ibi oblatum § 8—13 talem non esse quo persuaserit Socrates interlocutori, ergo inefficacem fuisse ipso initio sequentis capitis I 4, de quo rettuli, ita comprobatur, ut extra omnem dubitabionis aleam positum sit. Nam sermones ad persuadendum validos inde ab I c. 4 demum incipere testatur scriptor. Iam vero hocine, quaeso, casu factum est, quod ille sermo in I c. 3 solus et unus cum ipso Xenophonte habitus esse fingitur? Agitur autem de amore puerorum neque se contemptorem basiorum ibi esse simulat Xenophon (I 3, 10). Agnosco igitur ironiam quandam satis iucundam scriptoris sese ipsum deminuentis, qua in re clarissimam ironiam Socraticam aemulatus est; etenim ille primarium quidem in opere interlocutorem semet ipsum introduxit, at vero in se solo et uno sapientiam magistri frustra fuisse ingenue fatetur, neque ideo usquam in sequentibus ipse scaenam denuo voluit ingredi.

Ergo series argumentorum, quibus incipiunt hi Commentarii, iam sic circumscribi poterit vel liberius enarrari: »Docebat Socrates primum quidem quomodo dii colendi et religiose vivendum esset (I 3, 1 sqq.). Idem continentiam maximam et exercebat et sodalibus commendabat (I 3, 5—7). Sic olim Socrates, ut exemplum afferam, cum memet ipso de amoris et osculandi voluptatibus dehortans locutus est« (I 3, 8). Exinde promit Xenophon quae magister de osculi qualitate et telis pulchritudinis satis gratiose luserit (I 3, 8—13). Pergit autem: »At vero equidem non tales Socratis sermones proferam, qui vero effectu caruerint (scilicet me ad rerum amatoriarum abstinentiam quamquam *προέτρεψεν*, tamen non *προήγαγεν*), sed tales potius, quos effectum plenum habuisse mihi constet« (I 4, 1). Atque abhinc alios viros plurimos, Aristodemum Antiphontem Aristippum Lamproclem Chaerephontem Antisthenem Critobulum, numquam vero sese ipsum rursus in librum intulit Xenophon. Cur tandem ita se celavit? Nonne modestiam scriptoris ingenuam persentiscis quamvis iocosam atque ironicam? qui

scilicet nusquam in his libris omnibus eo descenderit, ut suos ipsius mores emendatos esse vel fastigium Socraticae virtutis se ascendisse iactaret. Immo id ipse tacendo negat, neque solum negat tacendo, sed etiam hoc potissimum loco, de quo disputamus, satis eleganter et satis distincte confessus est Aristodemum Antiphontem Aristippum reliquosque omnes Socratis auxilio laudem virtutis aliqua ex parte re vera esse adeptos, sese minus; estque hoc illud artificium detractandae laudis propriae et animi imbecillitatis confitendae, quo et sibi et aliis placere solent homines ironici quoque vel Horatius se Epicuri de grege porcum submisse ridens profitebatur.

Hoc denique causae fuit, cur filum quod in I c. 3 texere inceperat Xenophon, statim abrumperet pudore quodam festivo prohibitus et denuo texere adgrederetur in c. 4.

III.

Interim Socratici reliqui, Antisthenes Plato, philosophari Socratis ore non desierunt, nec non et ipse Xenophon aliis fortasse praeter magistri memoriam operibus susceptis suam cogitandi disputandique rationem magis magisque excoluerat. Sic factum est ut aliquo certe transacto temporis spatio extendere commentarios Socraticos decerneret. Iam enim *supplementa* aliqua subnectere operi decrevit, in quibus tralaticiae dispositionis rationem iam nullam habebat; neque vero *subnexuisse videtur nisi librum tertium*. Hanc igitur tertiam operis editionem fuisse existumo continentem libros tres.

Liber tertius suppletorius ex partibus diversis constipatus est.

Prima pars sive *supplementum primum* obtinet capita 1—7; et in sententia principali, quam quasi novum indicem supra scripsit, de cura rerum laudabilium (*τῶν καλῶν*) se »nunc« expositurum profitetur: *Ὅτι δὲ τοὺς ὀρεγομένους τῶν καλῶν ἐπιμελεῖς ὧν ὀρέγοιντο ποιῶν ὠφέλει, νῦν τοῦτο διηγήσομαι;* sic coagmentatione aliqua qualicumque libri II et III coaptati sunt. Et scripsit *ὠφέλει*, ut ad ipsum initium Commentariorum I 3, 1, ubi est *ὠφελεῖν ἐδόκει*, remitteret lectorem. Quin etiam locum illum dispositionis septimum ac postremum in exitu libri II, quo potissimum illustraverat Socratem utilem fuisse civibus suis, nunc quadamtenus respicit libereque continuat atque dilatat et in magnum ambitum vel paene in proprium librum ut excrescat curam habet. Revera tamen homo quaestionibus politicis unice devotus non nisi studium *reipublicae administrandae et magistratuum suscipiendorum* nunc quidem sectatur, quippe de quibus in antecedentibus non nisi paucissima inmittere potuerit Polycrateae dispositioni obtemperans Mem. I 6, 15 — II c. 1. Attinet igitur hoc primum supplementum potius ad I 6, 15 — II c. 1 sive ad dispositionis partem tertiam. Et in libris I et II quatenus Xenophon suam philosophiam humilem illam et claudicantem obtruserit Socrati, quaerere supersedeo; credo tamen fere omnia ibi vel pleraque propria esse ingenii Xenophontis neque trahi posse ad sapientissimum magistrum nisi cautione summa adhibita. At vero in l. III cc. 1—7 quasi nullis iam vinculis coercitus frenos sibi liberos dedit scriptor et totum suis deliciis se permisit, ut tantummodo sibi propriam ac suam sinceram doctrinam profunderet.

In hunc autem ordinem argumenta publica vel militaria revocavit:

cp. 1. De ducis officiis et rebus tacticis.

cp. 2. Iterum de ducis officiis; consulere eum debere valetudini militum et felicitati quasi gregis pastorem.

cp. 3. De magistri equitum officiis.

cp. 4. Bonum ducem facile eum esse qui etiam bonum patrem familias, dispensatorem, choregum se praestiterit.

cp. 5. De peditatu Atheniensium; quo cum superiores facile sint Thebani, quomodo augeri ille et fortitudo pristina revocari possit disceptatur.

cp. 6. Is qui immatura aetate res publicas capessere properat, repellitur et scientia rerum destitutum esse convincitur.

cp. 7. Is quem taedet magistratus gerendi ad suscipienda munera publica incitatur.

Hactenus supplementum primum de argumentis publicis ac militaribus. Exinde dirupta omni sermonis perpetuitate legitur supplementum alterum comprehendens capita 8 et 9, quod est de arte Socratis dialectica. Eam artem tetigerat Xenophon in apologia I 1, 16, in commentario vero qui tendit ab l. I c. 3 ad l. II c. 10 plane praeterierat. Nunc definitionum exempla ponit, quae quantumne genuini Socratis sapiant, hoc loco in incerto securus relinquo; docemur fere cp. 8 § 1—7 quid sit τὶ ἀγαθόν, quid τὸ καλόν; post digressionem c. 8 § 8—10 pergitur in c. 9 distinguendo quid sint fortitudo, sapientia, temperantia (σωφροσύνη) et ita porro.

In subtiliore digressione cp. 8 § 8—10 quae est de aedificatione exemplum ponere volebat Xenophon definitionis eius, qua pulchrum sive laudabile (τὸ καλόν) idem esse atque utile dictum erat § 7. Nil nempe καλὸν esse nisi πρός τι. Haec non Socratis, sed Xenophontis propria esse vel maxime proditur vocibus § 8 ἔμοιγ' ἐδόκει κτλ.; et conferantur Ischomachi verba in Oeconomico cp. 9 § 4.

Sequitur tertium supplementum quod extat in capitibus 10 et 11 et 12. Tractantur artes variae et artium rationes, consilia, auxilia: cp. 10 de pictura, sculptura et arte loricaria, cp. 11 de meretricum artificiis, cp. 12 de rebus gymnasticis.

Conexus inter supplementum alterum et tertium vix ullus percipitur. Dixerit quispiam ad artes disputandas eo inductum esse scriptorem, quia cp. 8 § 1—8 memoraverit quid sit pulchrum et de architectura nonnulla interposuerit cp. 8 § 8—10. Tamen illam sententiam καλόν non esse nisi πρός τι nullo pacto explicant dialogi supplementi tertii; nisi forte adferas quod gymnasticam cp. 11 eum finem habere exponitur ut corporis et animi sanitatem exercitatione corroboret; ceterum in arte loricaria cp. 10 § 12 semel inicitur destinatam esse πρὸς τὸν χρώμενον. Quae cum ita sint, iam explicatum habet quod illam de aedificatione disputationem cp. 8 § 8—10 non in supplementum tertium intexuit Xenophon artibus adiungens; nempe ibi id ipsum illustravit καλὸν non esse nisi πρός τι.

Denique supplementum quartum quo complentur capita 13 et 14, dissolute in clausula et calce libri subicitur; ibi miscellaneae historiolae, dicteria, responsa breviuscula, uniformia, simplicia, ad vitam communem nimis pertinentia, satis insulsa pleraque

recensentur quasi per saturam; incipiunt fere ut in apophthegmatum collectionibus: *ὀργιζομένου δὲ ποτέ τινος* vel *ἄλλου δὲ λέγοντος* vel *ἄλλου δ' αὖ λέγοντος, κολάσαντος δέ τινος, φοβουμένου δέ τινος.* Oracula Socratis huius fere prosapiae sunt: inediam optimum remedium esse contra cibi fastidium; in potu ciboque ne simus nimis difficiles; quae omnia et re et conformatione memoriam faciunt chriarum et characteris cynici; nisi quod ipso sale Bioneo destituuntur. Appendicem hanc esse vel ipsa rerum vilitas clamat. Residua enim, libro vix digna vel editione, quae in ceris commentator adservabat, sub finem voluminis ad paleae instar corrasit. Hac ratione hunc operis verum finem esse ipse scriptor indicavit.

IV.

Restat Memorabilium liber quartus. Atque tum cum primam emissionem libri tertii faceret auctor, in ipso tertii fine opus totum eum definiisse iam ex iis efficias quae de libri III capitibus 13 et 14 modo dicta sunt. Accedit quod quartus naturam et a tertio et a primo alteroque diversissimam prae se fert. Plurima autem sunt et gravissima pleraque, quibus ab iis quae antecedunt lato spatio removeatur. Et primum sermo diversus est, diffusior scilicet et laxior et magis oratorius ut paene loquacem et abundantem praedices, quin etiam ita instructus quasi si nunc tandem plenissima velificatione, ut aiunt, uti nauta incipere velit. Simul notandum, quod cum in prioribus ad utilitatem et vitae usum humiliore ratione plerumque respexerit Xenophon, in ultimo libro vere philosophari incipit eatenus quatenus huic ingenio philosophica meditatio patebat; certe ad maiores quaestiones altiore tractationis genere et cum apparatu grandiore nunc demum se accingit. Deinde cum tertius a vera rerum dispositione sit exemptus, immo supplementa varia fere sine ordine conglomerata offerat, quartus ecce nova dispositione eaque elegantissima, qua a tertio distincte segregatur, exornatus est et ea quidem arte rotundatus ut per se stetisse et excogitatus esse videatur. Quam artem ubi contemplabimur, etiam id mirabile dicemus, quod solus quartus liber uno et continuo argumento completur, per reliquos miscellaneae quaestiones sparsae leguntur. Neque igitur vel id casu factum, quod cum in quarto dialogos non nisi cum uno fere semper Euthydemo habeat Socrates (semel Hippias eius loco introducitur c. 4), ab hoc quoque artificio valde distant libri priores; immo quoniam in eodem argumento nunc persistit, ne personam quidem variandam esse scriptor existumavit. Denique, quod quidem maxime est ponderandum et paene turbas facit, argumenta nonnulla, quae in quarto agitantur, iam iudicata et discussa erant in ante scriptis nec tamen ullo modo Xenophon se rem actam agere indicat vel hanc non esse nisi praeteritorum iterationem.

Sequitur capitulorum conspectus quo quae significavi cognosci possint.

In exordio libri quarti rursus de integro pronuntiatur omnium civium utilissimum se exhibuisse Socratem; neque solum serio sed etiam per iocum: *καὶ παίζων καὶ σπουδάζων ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσι*: IV, 1, 1. Verba fere plena sic traduntur: *Οὕτω δὲ Σωκράτης ἦν ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον ὠφέλιμος, ὥστε .... φανερὸν*

εἶναι ὅτι οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν τοῦ Σωκράτει συνεῖναι ... ἐπεὶ καὶ τὸ ἐκείνου μεμνῆσθαι μὴ παρόντος οὐ μικρὰ ὠφέλει τοὺς εἰωθότας τε αὐτῷ συνεῖναι καὶ ἀποδεχομένους ἐκεῖνον. καὶ γὰρ παίζων οὐδὲν ἧττον ἢ σπουδάζων ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσι. πολλάκις γὰρ ἔφη μὲν ἄν τινος ἐρᾶν κτλ. Quo in prooemio exarando tertii libri recordatus esse non videtur Xenophon; immo quod dicit utilem hominem fuisse et ioco et serio, nunc demum denuo exordiens id probaturus est; pergit enim interposita voce *γὰρ* ita: *πολλάκις γὰρ ἔφη μὲν κτλ.* Et adicitur illico iocosi exemplum: dictitasse Socratem se iuvenum amore esse captum, cum tamen non corporis formam respiceret, sed indolem ad virtutem paratam. Ceterum in libro quarto numquid satis hilare et ad risum accommodate omnino ludere dici possit Socrates, ambigo; mihi potius simplici gravitate et sicca veritate pleraque absorberi et varietate coloris fere carere videntur; nisi quod in caput 2 ridicularia nonnulla inmissa sunt (vide potissimum illud *ἐγέλασαν* § 5). Igitur praeter quartum librum suum scriptor fortasse etiam Convivium in illis verbis cogitavit; Convivium enim ex verbis incipit: memorabilia (*ἀξιομνημόνευτα*) esse non solum *τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδιαῖς*, et harum quidem *παιδιῶν* exemplum ibi propositurus est Convivii enarrationem. Quod utut est, certe haud inepte statuerit quispiam »Memorabilibus« tamquam pro quinto libro adnectendum »Convivium« esse, pro sexto »Oeconomicum« [1]).

Ceterum in ea quoque re digitum pono, quod cum in initio illo Commentariorum simplicissima ratione dictum sit *καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει* I 3, 1 itemque ubi supplementa incipiunt *ὅτι δὲ ... ὠφέλει* (III 1, 1), contra in limine libri quarti vox eadem ita cumulata extat, ut prorsus novo impetu ad rem altiore ratione agitandam se parare videatur scriptor: legitur nempe *οὕτω δὲ Σ. ἦν ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον ὠφέλιμος ... οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν ... καὶ τὸ ἐκείνου μεμνῆσθαι .. οὐ μικρὰ ὠφέλει.* Ex quo sane exemplo quatenus dictione exuberanti atque tumore oratorio hic liber omnino cum ceteris discordet, eximie percipi potest. Illud vero *ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον* qua lege addiderit, infra apparebit.

Exinde magnam introductionem scriptor paravit; totus enim hic liber inscribi potest *περὶ παιδείας;* igitur in cp. 1 orationes Socratis sine dialogo, in cp. 2 dialogum praestruxit, quibus generales de educatione et disciplina sententias proponeret; quae sunt

IV 1, 2: amasse Socratem eos adulescentes, quorum animos ad virtutis et rerum utilium opera tendere cognosset. Nempe amor fundamentum est institutionis debuitque antecedere.

IV 1, 3 et 4: de ratione docendi: distinguitur inter naturae dona et disciplinam; neutram neglegendam esse; necessariam disciplinam esse evincitur.

IV 1, 5: ne divitem quidem scientia, quae disciplinae ope paratur, carere posse.

---

1) Similia olim Schenkelius commendabat l. l. p. 145 adlegato Galeni loco illo ad *περὶ ἄρθρων* 18, 301 Kuehn., ubi de Oeconomico: *ὅτι τὸ βιβλίον τοῦτο τῶν Σωκρατικῶν Ἀπομνημονευμάτων ἐστὶ τὸ ἔσχατον*; ergo Symposium praeivit?

IV 2: dialogus cum Euthydemo habitus: eadem fere tractantur quae *περὶ ἀλαζονείας* iam extant l. I c. 7 et l. III c. 6; non superbire licere sapienti; in examen vocatur scientia politica Euthydemi; conscius enim esse debet sapiens quid sciat, quid minus; curet igitur illud *γνῶθι σεαυτόν* (cf. III 9, 6); hoc primarium esse statuitur in disciplina. Sic ad rem ipsam persequendam tandem via munita est; et primus hic dialogus cum Euthydemo habitus ad reliquos praeparat lectorem et introducit.

Atque iam sine haesitatione accurate proposita partitione quadrifaria ad singularia gressum fert Xenophon. Ipse enim satis perspicue et in loco debito partitionem quam secuturus est articulatim indicat IV 3, 1: *Τὸ μὲν οὖν λεκτικοὺς καὶ πρακτικοὺς καὶ μηχανικοὺς γίγνεσθαι τοὺς συνόντας οὐκ ἔσπευδεν, ἀλλὰ πρότερον τούτων ᾤετο χρῆναι σωφροσύνην αὐτοῖς ἐγγενέσθαι.* Ex quibus verbis facili negotio hanc materiae tractandae divisionem enucleemus: acturus est 1) primum (*πρότερον*) de temperantia (*σωφροσύνη*), praeterea vero etiam 2) de loquendi habilitate (*λεκτικοὺς γίγνεσθαι*), 3) de rebus prudenter gerendis (*πρακτικοὺς γίγνεσθαι*), 4) de artibus per eruditionem comparandis (*μηχανικοὺς γίγνεσθαι*). Quod quidem neminem doctorum perspexisse aut ponderasse non satis possum mirari. Abscondere sane quadamtenus conatus est Xenophon consilium suum neque tamquam si ad pueros scriberet, nimis explanate dixit se nunc libri partes velle enumerare. Enumeravit tamen, et qui volet elegantem fraudem et dissimulandi artem facile deteget. Sic enim vel Cicero praescribebat de Orat. II 176 sq.: »puncta argumentorum plerumque occulas ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur«.

Est igitur haec partitio quadrifaria eiusmodi ut Ciceronis Catonem maiorem sive De senectute in comparationem eligere apte possis, ubi § 15: *Etenim cum complector animo, quattuor reperio causas, cur senectus misera videatur: unam quod avocet a rebus gerendis; alteram quod corpus faciat infirmius; tertiam quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam quod haud procul absit a morte. Earum si placet causarum quanta quamque sit iusta una quaeque videamus.* Nec hercle potest negari non minus per se stare et sui quasi iuris esse Xenophontis librum IV sive *περὶ παιδείας* tractatum quam Ciceronis illum de senectute.

Iam vero partitio Xenophontis revera per librum quartum totum gubernat omnia fere complectens neque alieni quidquam intermixtum est; nisi quod partem tertiam inverso ordine ante secundam absolvi videmus; antea enim homines *πρακτικοὶ* quam *λεκτικοὶ* a Socrate facti inducuntur. Hanc libertatem quis non vel condonabit scriptori vel adeo gratam et acceptam habebit? Agitur ergo

I) cp. 3 et 4 de sana mente sive temperantia nanciscenda (*σώφρονας ποιεῖν*). Per duas quaestiones res dissipatur. 1) cp. 3 de pietate sive de sano erga deos mentis habitu: *πρῶτον μὲν δὴ περὶ θεοὺς ἐπειρᾶτο σώφρονας ποιεῖν* IV 3, 2. Agit Socrates cum Euthydemo *περὶ εὐσεβείας*: deos hominibus providere; colendos esse *νόμῳ πόλεως*. Haec vero dum scribit Xenophon plane

neglegit quod simillima iam dederat in Commentariorum libri I capite 4. 2) cp. 4 respondet priori, agit igitur de sano erga homines mentis habitu sive ostendit Socratem *περὶ ἀνθρώπους σώφρονας ποιοῦντα.* Colloquitur Socrates cum Hippia *περὶ δικαίου* [1]); parendum esse et scriptis legibus et non scriptis. Est nempe pietas in priore capite posita ipsa quoque iustitia, sed ea quam dis debemus; ergo etiam iustitia omnino sicut pietas ad *σωφροσύνην* illam pertinet, ita tamen ut non ad deos, sed ad homines relationem habeat. Denique pari modo et in cp. 3 et in cp. 4 urbis legum auctoritas invocatur.

II) cp. 5. illustratur Socrates *πρακτικοὺς ποιῶν;* ita promiserat scriptor in partitione; promissi memor nunc verba dedit § 1: *Ὡς δὲ καὶ πρακτικωτέρους ἐποίει τοὺς συνόντας ἑαυτῷ, νῦν αὖ τοῦτο λέξω.* Quo proposito tamen ita abutitur, ut eligat sibi quaestionem *περὶ ἐγκρατείας* quam importune dilatat indefessus neque curam habet eorum quae de temperantia abunde per libros priores effuderat. Dialogum et hunc et eos qui supersunt Socrates instituit cum Euthydemo.

III) cp. 6 Socrates *λεκτικοὺς ποιῶν.* Incipit: *Ὡς δὲ καὶ διαλεκτικοὺς ἐποίει κτλ.* Collecticiae proponuntur definitiones: quid sit pium, quid iustum, quid sapientia; bonum id esse, quod cuique utile; *καλὸν* esse *πρὸς ὃ ἂν ἕκαστον χρήσιμον ᾖ.* Igitur libri tertii, ubi eadem vel persimilia in c. 8 et 9 exhibuerat, hoc loco prorsus aut ignarus aut immemor est Xenophon. Id etiam confirmatius contendet qui perpenderit verba IV 6, 1: *πάντα μὲν οὖν ᾗ διωρίζετο πολὺ ἔργον ἂν εἴη διεξελθεῖν, ἐν ὅσοις δὲ τὸν τρόπον τῆς ἐπισκέψεως δηλώσειν οἶμαι, τοσαῦτα λέξω*: in quibus negat se omnes percensere posse definitiones; tot communicare vult quot sufficiant ad methodum demonstrandam. Haec scribere nequaquam poterat ille, si librum III omnino respiciebat; aliter ad definitiones in priore libro memoratas nunc etiam plures se adiecturum esse dixisset.

IV) cp. 7 inducitur Socrates *μηχανικοὺς ποιῶν* sive *αὐτάρκεις ἐν ταῖς προσηκούσαις πράξεσιν* (sic enim nunc in § 1 notionem circumscribit). Curabat Socrates in uno quoque ne experientia rerum careret; docebat *τὸν ὀρθῶς πεπαιδευμένον μέχρι ὅτου δέοι ἔμπειρον εἶναι ἑκάστου πράγματος;* quatenus in geometria studium esset collocandum, quatenus in astrologia et arithmetica; adiciebat hygienica sive valetudinis curationem nec non et artem divinationis.

Sic argumentum libri quarti quod est *περὶ παιδείας* rite absolutum esse et omne exhaustum videtur. Vix tamen recte. Immo caput 8 quod unum superest ita nexum habes cum c. 7 ut ad quartam huius tractationis particulam haud iniuria traxeris. Simul tamen caput hoc quod dixi octavum etiam epilogi partes apte suscepit, quippe in quo ad mortem tandem Socratis derigamur. Ne vero credas ipsam mortem describi. Immo agitur de daemonio tantum; exponitur numquam errori obnoxium fuisse Socratem

---

1) Praemittitur in huius capitis §§ 1—4 Socratis laudatio, qui ipse legibus urbis semper paruerit; quae spuria esse non pauci dicebant; ad haec tamen respicit § 10: *ἃ δοκεῖ μοι δίκαια εἶναι οὐδὲν παύομαι ἀποδεικνύμενος* (sc. *ἔργῳ*).

daemonio confidentem; nam ne de morte quidem id ipsum fefellisse[1]), sed conscium futuri Socratem eam amplexum esse voluntariam; reputasse enim in natura rerum id esse positum quod senem nullum non mors expectat. Iam ego ab eorum sententia qui pro spurio damnare consuerunt hoc caput, semper in partes contrarias refugi. Quod si quis tandem in vinculum inquirat, quo ipsum cum magno illo libri quarti argumento, quod est de disciplina, cohaereat, adeatur vinculi auctor Xenophon, qui obscuritates captare non solet atque hoc quoque loco dilucidis verbis usus est; nam caput 7 sive postremam illam de disciplina disputationem § 10 finierat ille mentione divinationis cuius quidem artis ope deos consulendos esse Socrates praescripsisset; causam addidit: deorum enim responsa numquam eum fallere qui per experientiam sive doctrinam sciret quomodo respondere di assolerent: *τὸν γὰρ εἰδότα δι' ὧν οἱ θεοὶ ... σημαίνουσιν, οὐδέποτ' ἔρημον ἔφη γίγνεσθαι συμβουλῆς θεῶν.* Iam sic fere pergitur: his verbis »deos scilicet numquam fallere expertum« obicere quispiam possit Socratem ipsum daemonio suo abductum esse in errorem et leto datum; quam interpellationem dum refellit scriptor, occasionem ecce sibi paravit qua tandem etiam de morte Socratis memoriam iniceret et perapposite in vitae fine libri finem collocaret.

Quod si quis adeo verba in cap. 7 § 10 de divinitione interpolatoris esse dicat, causam idoneam eius opinationis non agnosco equidem. Immo cum Xenophontis indole optime convenit, quod ad *μηχανὰς* sive ad artes, quae disci deberent vel in quibus *μηχανικοὺς* fieri oporteret homines sapientes, non solum geometria et astrologia et valetudinis curatio, sed etiam divinatio est adnumerata.

Apparuit autem institutionem humanam universam secundum Xenophontem esse quadripertitam sive quadrivium neque vero per plures partes distribui: habet enim partem legalem (de cultu deorum atque iustitia), moralem sive pragmaticam, dialecticam, technicam; per has quattuor provincias Socratem magisterium aequali modo optimum exercuisse scriptor monstravit; hinc igitur est ni fallor, quod Xenophon in prooemio huius libri utilitatis Socraticae notionem ita absolute efferendam putavit: *ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον ὠφέλιμος* (cf. supra p. XV); nempe utilis fuit per omnes quattuor regiones institutionis humanae.

Denique capiti octavo in § 11 etiam disputationis summarium adhaeret: *τῶν δὲ Σωκράτην γιγνωσκόντων κτλ.* Hanc non Memorabilium universorum, sed solius quarti libri consummationem esse facile coniectaveris. Nam quod dicitur ibi quoque *ὠφελιμώτατος* fuisse Socrates, id quidem ad IV 1, 1 (*οὕτω δὲ .. ὠφέλιμος*) secure traxeris; item verba *ἔτι καὶ νῦν διατελοῦσι πάντων μάλιστα ποθοῦντες ἐκεῖνον* memoriam faciunt verborum IV 1, 1: *καὶ τὸ ἐκείνου μεμνῆσθαι μὴ παρόντος οὐ μικρὰ ὠφέλει τοὺς εἰωθότας κτλ.* Praeterea autem quod per virtutum enumerationem primum ibi Socrates fuisse dicitur *εὐσεβής*, deinde *δίκαιος*, servat id videlicet ipsum ordinem capitum IV 3 et 4 (in libris I—III

---

1) Verba IV 8, 1 *αὐτὸν ἐλέγχεσθαι περὶ τοῦ δαιμονίου ψευδόμενον* de Socratis mendacio interpretari non licebit; agitur de divinatione quae fallere non possit expertum; ergo deleatur *περί*, ne de mendacio cogitemus ubi intellegitur error.

de iustitia eius separatim actum non est); item quod ille post pietatem et iustitiam ibidem praedicatur ἐγκρατής, egregie servato ordine id spectat ad caput proximum IV 5; porro quod φρόνιμος ὥστε μὴ διαμαρτάνειν κρίνων τὰ βελτίω καὶ τὰ χείρω μηδὲ ἄλλου προςδεῖσθαι, ἀλλ' αὐτάρκης εἶναι πρὸς τὴν τούτων γνῶσιν, spectant haec ad caput IV, 7; quod ἱκανὸς δὲ καὶ λόγῳ εἰπεῖν τε καὶ διορίσασθαι τὰ τοιαῦτα, referenda ea sunt ad caput IV 6; denique quod ἱκανὸς δὲ καὶ ἄλλους δοκιμάσαι τὲ καὶ ἁμαρτάνοντας ἐξελέγξαι καὶ προτρέψασθαι εἰς ἀρετὴν καὶ καλοκἀγαθίαν, his verbis argumentum capitis IV 2 plane adumbratum est, ita ut totus et plenus liber quartus et solus quidem hac in consummatione feliciter contineatur.

Quodsi replicamus de libro quarto argumentationem, si ad partium eius cohaerentiam animum advertimus et unitatem, eum, cum quidem conderetur, ad Memorabilia pertinuisse negabimus. Solus enim a tribus reliquis eo discrepat quod totus uno tantum argumento absorbetur quod est περὶ παιδείας; qua in re potius Convivium adaequat quod totum ad quaestionem tendit περὶ ἔρωτος[1]), item Oeconomicum qui totus quid sibi velit indicat titulo.

Memorabilium librum tertium suppletorium esse vidimus; neque ideo insunt in tertio quae iam in primo vel in altero dicta erant. Contra liber quartus suppletorius vocari non potest; est enim ubi eadem tractet quae iam in prioribus legebantur; vide quae significavimus ad cap. IV 2 et IV 3 et IV 5 et IV 6. Inter quae gravissimum est quod de definitionibus in IV 6 monuimus: nempe Xenophon si in quarto nil egisset nisi continuare Memorabilia, definitiones non ita ibi intulisset quasi si plane novum doceret.

Ergo Memorabilia volente Xenophonte ad tres tantum libros accreverant desinuntque in appendice illa quam dixi capitum 13 et 14 libri III. Postea respectu fere non habito eorum quae in Memorabilibus iam exstabant, librum περὶ παιδείας condidit Xenophon qui falso pro quarto numeratur; quem librum quamvis separatim conceptum quod tamen iniecta particula δὲ incepit scriptor verbis quae sunt Οὕτω δὲ Σωκράτης ἦν ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον ὠφέλιμος ὥστε κτλ., ne quid inde praepostere colligatur dehortor; nam contendi debet Oeconomicus, qui etiam artiore vinculo videlicet ad opera Socratica adnectitur sic incipiens: Ἤκουσα δέ ποτε αὐτοῦ ne nominato quidem Socrate, similiterque Convivium. A quibus egregie discrepat Hiero, ubi sine particula scriptum est in versu primo: Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἀφίκετό ποτε κτλ.

Sic tandem cetera quoque quibus quartum librum a praecedentibus recedere supra vidisti explicatum habent: quod sermone prolixiore utitur; quod minus vitam cottidianam spectat, sed quasi uno tenore vel ex professo philosophatur; quod novam et propriam sibi habet partitionem; quin etiam illud, quod paene omnia in eo ad unum Euthydemum derigit Socrates, sicut in Oeconomico cum solo Critobulo, mox cum solo Ischomacho ei res est. Denique summarium quod extat IV 8, 11 ita scriptum est quasi libri I—III non adessent.

---

1) licet per circuitiones sermo a re aberret et saepius revocetur.

V.

Quae cum ita sint, si quis librum hunc περὶ παιδείας ad Euthydemum pro quarto Memorabilium numerare perget (et pergemus omnes, ni fallor, consuetudini serviliter dediti), aequo iure Convivium pro quinto, Oeconomicum pro sexto numerare poterit. Et ita sane in his studiis processisse Xenophontem crediderim. Postquam ipsos »Commentarios« absolvit, dicendus est libros singulares tres de Socrate suo scribere suscepisse nescio quo temporis ordine; eorum duo, Convivium et Oeconomicus, separatim per saecula posteriora traditi sunt titulo non deleto propterea, quia perinde atque Platonis dialogi uno quasi dramatis actu uterque liber continetur; contra liber περὶ παιδείας quia non in una scaena res agitur sed diversos cum Euthydemo sermones iuxta positos habet et Memorabilium similitudinem multo maiorem prae se fert, a librariis sive grammaticis ad Memorabilia semper adnexus est.

Denique id peculiare fuisse Xenophonti didicimus, ut cum ad easdem res scribendo saepius rediret et compluria atque diversa de iis opera per seriem annorum conderet, nollet ea discreta legi, sed alterum alteri attexeret et adglutinaret. Non sufficit enim quod pronuntiavit Schenkelius[1]): »Entweder war der Oekonomikos ein Theil der Apomnemoneumata oder ein selbständiges Buch« et iterum idem: »Entweder war das Symposion ein Theil jenes Werkes, welches Xenophon zur Rechtfertigung des Sokrates verfasste: dann musste es mit dem Uebrigen in einem organischen Verbande stehen; oder das Symposion war eine selbständige Schrift: dann ist ein solcher Anfang (scilicet illud Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ κτλ.) geradezu abgeschmackt und lächerlich«. Immo vero poterat sane scriptum unum et idem simul et separatum a reliquis esse et cum reliquis quadamtenus coniunctum.

Et librorum quidem distinctionem et numerationem in Memorabilibus genuinam non esse, sed a posteriore homine illatam nemo non concesserit. Quodsi rem librariam aevi Xenophontei qualis fuerit animo formamus, tam grandia atque capacia volumina chartacea tum usu recepta fuisse constat, ut in volumine uno facile et Memorabilia quae nunc vocari solent et Convivium et Oeconomicum perscribere liceret. Ita Aristippi venditabatur βιβλίον ἕν, ἐν ᾧ διάλογοι πέντε καὶ εἴκοσιν (Diog. Laert II 83 sq.); neque vero eius generis cumulare exempla hoc loco placet[2]). Ea re invitatus Xenophon scripta de Socrate diversa quoniam in uno eodemque tomo comprehendi poterant, quasi continuationes esse videri volebat et vinculo aliquo quamvis tenui atque exili ligabat. Sic post Apologiam sive Polycratis refutationem I 1 et 2 subnectens Commentarios maiores I 3 — II 10 verbis usus est Ὡς δὲ δὴ καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει μοι .... διαμνημονεύσω (I, 3, 1); ita enim factum est, ut ab Apologiae perceptione lectorem ad Commentarios leniter traduceret. Similiter ubi ex Commentariorum libro tertio atque postremo ad librum περὶ παιδείας progrediendum erat, per δέ particulam opus alterum alteri leniter aptabat sic scribens: Οὕτω

1) l. l. p. 147; cf. p. 150.

2) cf. quae dixi De re libraria p. 444—468; de Xenophonte ipso p. 464 sqq.; et cf. p. 488 adn. 1.

δὲ Σωκράτης ἦν .... ὠφέλιμος κτλ. (IV 1, 1); item ubi ex hoc progrediebatur ad Convivium, sic: *Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ ... οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀξιομνημόνευτα εἶναι;* denique ubi ex hoc ad Oeconomicum, sic: *Ἤκουσα δέ ποτε αὐτοῦ καὶ περὶ οἰκονομίας τοιάδε διαλεγομένου.* Et hic quidem perinde atque in Mem. I 3, 1 (et III 1, 1) ne nominatur quidem Socrates, quem quod in Mem. IV 1, 1 denuo nominavit Xenophon, eo minus displicebit ibi novi opusculi fuisse exordium.

Et haec quidem hactenus. De illa vero »Apologia Socratis« quae incipit *Σωκράτους δὲ ἄξιόν μοι δοκεῖ εἶναι μεμνῆσθαι καὶ ὡς κτλ.* utrum Xenophontis sit an a falsario compilata, altercantur iudices haerentque ancipites usque ad hunc fere diem; ego ne in hoc quidem certamen descendo; aio tamen si cui genuina illa videatur, ei dicendam esse non ante librum *περὶ παιδείας*, quin etiam vix ante Oeconomicum et Convivium esse scriptam et tum quidem, cum Xenophon pristinam illam et veram apologiam Polycratis confutationem diu commentariis suis exornasset et unius tomi complexu cum iis consociasset.

Subditiva in Memorabilibus non pauca non pauci viri docti venati sunt; ego quo iure omnia fere capitula ea serie, qua tradita sunt, conservanda esse putarim, vel ex iis clarescit, quae de capitulorum ordine et nexu disserui. Et de locis nonnullis singularibus ambigi posse haud infitior. Velim tamen qui talia curare pergent, semper ad illum ordinem et ad partium dispositionem, ex qua, quid sibi tandem voluerit scriptor, comparet, diligenter mentem dirigant vigilentque, ne particulis resectis et amputatis totum operis corpus laceretur vacillet claudicet.

Sed etiam eos qui quo tempore scripta sint Memorabilia deliberant, in exitu monitos esse volo, ne falso uni aetati attribuant quae per intervalla originem cepisse apparuit. Immo sic procedendum erit, ut in apologiam quam vocavi sive Polycratis refutationem, Mem. I c. 1 et 2, separatim inquiratur, separatim in veros et proprie dictos commentarios quos primum sibi formavit scriptor, Mem I c. 3 — II c. 10, separatim in supplementa libri III, denique etiam seorsum exploretur tractatus *περὶ παιδείας*, Mem. liber IV, cuius quidem argumentum quantopere *Κύρου παιδείαν* propositi affinitate attingat, non est quod pluribus disseram; et conferantur si placet vel Simonis sutoris et Simmiae umbratilium hominum dialogi quorum titulos *περὶ διδασκαλίας* circumferebat antiquitas, magis vero illi quinque Antisthenis qui extabant in operum eius tomo septimo *περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων*[1]) et Aristippi syngramma *περὶ παιδείας*.

Convivium autem et Oeconomicum ne ante librum Mem. IV orta autumemus ipsa librorum series et commissura dissuadet.

Denique an forte ii quoque qui a Socrate Xenophonteo verum Socratem distinguere conentur, lucrum capere possint ex his observationibus, vix audeo sperare. Certe

---

1) Ex illo *ἢ ὀνομάτων* efficitur Antistheni in his libellis artem dialecticam, quae apud Xenophontem non nisi partem unam et tertiam quidem institutionis occupavit, momenti multo maioris esse visam, ut certe principalem ei locum concederet; sic enim ille: *ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις* (Epictet. dissert. I 17, 12). Quaesiisse eum etyma notum est.

tamen libro qui est *περὶ παιδείας* iam vix maiorem fidem habere concessum erit quam Oeconomico; et omnino singillatim in examen vocentur mihi hi libelli omnes, ut investigetur quatenus detrahi vel imminui auctoritas singulis aut possit aut debeat. Exemplum ponam; si enim comprobari possit Cyropaediam ante quartum librum vel adeo ante tertium Memorabilium esse conditam, quoniam eaedem saepenumero sententiae et in his leguntur et in Cyropaedia, has quidem sententias ipsas Xenophontis proprias fuisse neque sine summo erroris periculo ad Socratem posse referri etiam maiore cum fiducia contendere licebit.